

CARMINA GRATULATORIA
IN HONOREM NUPTIALEM

REVERENDI AC DOCTISSIMI VIRI,
DOM. M. HENRICI HEILBRUNNERI LAVINGANI, PASTO-
RIS VNDERBECHINGENSIS FIDELISSIMI; REVERENDI ET CLA-
rissimi viri, DOM. PHILIPPI HEILBRUNNERI, SS. Theologiæ Doctoris ac Profes-
soris in inelyto Gymnasio Lauingano celeberrimi Filij, SPONSI,

ET

PVDICISSIMÆ AC LECTISSIMÆ VIRGINIS CATHARINÆ,
admodum reuerendi & clarissimi viri, Dom. M. ABRAHAMI MANNÆ, Ecclesiæ Lauin-
ganæ Pastoris atque Superintendentis vigilantissimi Filij
SPONSÆ.

FELIX est meritò dicendus, contigit vxor
Cui, sit quæ prudens, pulchra, pudica, pia,
Talis adesse solet siquidem sic rebus agendis,
Vt sit perpetuò lecta corona viri.
Talis curarum socia est, & dulce leuamen,
Tempore quæ cuncto vulnus amoris alit.
O te felicem quapropter, docte Magister,
Cuius nunc intrat bella puella torum.
Virgo (crede mihi) cunctis virtutibus aucta,
Quæ longè superat pondera mille Tagi.
Ergò nouo thalamo latus nunc vttere, Sponse,
Felix cum Sponsâ viue, valeq; diu.
Sponsaq; tu collo circumda brachia Sponsi,
Et qui non pater est, hunc citò redde patrem.
Viuite concordés, absit discordia longè,
Vestra & perpetuus pectora iungat amor.
Viuite felices in multos Nestoris annos:
Ædibus à vestris exulet omne malum.
Quod superest, vobis possum quacumq; precari
Coniugibus, summus det D. E. V. S. illa, pretor.

Philippus Zorer Neoburgensis,
I. V. D.

ALIVD.

Vidam, coniugio neglecto, calibe vitâ
Gaudent. ecquid enim? tædia multa tori.
Nunc vitium vxoris, nati nunc crimina torquent,
Nunc merbi, lenium, pauperiesq; premit.
Libertate bonum vix est præstantius vllum,
Tollunt hanc ipsam fœdera coniugij.
Fœdera coniugij quæ non incommoda secum
Important! sanè millia multa ferunt.
Talia, qui vitant socialia fœdera lecti,
Obiectant: horum quid, Reuerende, probes,
Facto demonstras: thalamo dum fœdere iungis
CATHARINAM MANNIN, quàm iuvenile decus?
Et meritò: præstat connubia sacra iubire,
Quàm fœdè labi: pagina sacra docet.
Quid magis oblectat, quàm nominis atq; bonorum
Hæres? quis talis? filius ipse tuus.
Hic autem thalamo dabitur, non calibe vitâ,
Nec quæ contemnerat iura verenda tori.
Causas quid memorem plures? HENRICE, beatum
Te dico: nuhit quòd pia virgo tibi.
Virgo, seu mentis spectes, seu munera formæ,
Præstans, & cuius claret honore parens.
Linquens hæc patrium limen charosq; penates,
Te sequitur, solise tibi tota dicat.
Vt tibi conuiuat, præsentis commoda vitæ
Diuidat, in duris det capiatq; fidem:
Et si vel morbus cruciat, vel grandior ætas,
Subueniat, curas pellat & inde graues.
Quid multis? verâ tibi sit pietate Rebecca,
Ingenio Abigail, Sara fide, ore Charis,
Non minùs es felix pulcherrima Sponsa marito
Tali, quem pietas, ars decoratq; proba.
Filius hic eius, quem tot monumenta laborum
Tollunt, qui nostrâ fama decusq; Scholæ:
Patruus & magno Neuburgi dogmata pandit
Dia Palarino, vir pietate grauis.
Ergò agite, vnanimés felicem viuite vitam,
Crescat prole domus, floreat vna fides.
Accipe promissos placido sed pectore verius,
His tibi cum Sponsâ plurimâ fausta precor.

M. David Kilgerus, Coll. P. el. Lauing.
Pedagogus.

HEILBRUNNERE veni: votis nam mille vocatus
Hymen adest, adsunt Inno, Minerva, Venus.
Insuper Aonij montis iuga sacra colentes,
Ac alie, quas non commemorabo, Deæ,
Adsit, nec differ sacra noua gaudia tædæ,
Gaudia quippe tibi vix memoranda parant.
Nam quæ virginæ fuerat flos sponsa pudoris
Hactenus, & splendor virginittatis erat,
Hæc eadem virgo tibi nunc adducitur vxor,
Ac tua spes fiet, deliciuq; tuum.
O te felicem te terq; quaterq; beatum,
Tot diuæ thalami cui sacra festa parant.
Adsit, ac audi, quæ pandant numina montis
Aonij ad thalamos carmina docta tuos.
Doctus Apollo canit primo, quem turba nouena
Cantando sequitur, talia verba sonans:
HENRICE thalamos intrans, dum sydera voluēt
Cælum, erit Eois notus & Hesperijs
Quippe salutariferos ceu fontes plurima crebro
Turba petit, dulces indeq; promit aquas.
Sic quoq; non raro petet hunc pietatis amator
Fontem, depromens inde salutis aquas.
His quis quæso magis gratum, quis suauius unquam
Auribus audiuit, quis meliora, suis?
Buccina sed resonat, resonant è turribus æra,
Castus cum casta virgine sponsus adest.
Sic comites subeunt sacri simul ostia templi:
Atq; rogant, thalami vela secundet Hymen.
Nunc opus est oculis, præsens cum virgine casta
Sponsus adest, oculos tollite, sponsus adest.
Cernite quæ pietas illum, qui corporis artus
Ornet, qui mores, ingenijq; decus.
En micat è vultu grauitas laudatq; virtus
Ac certè viso hoc cernitur ipse pater.
Ast ego quid facio? num conor carmine, laudes
(Ceu fas est) Sponsi commemorare meo?
Scilicet hæc frustra, si conor talia, conor:
Quippe mea est tenuis, raucaq; Musa nimis.
Nec laudare satis sponsam, quam gratia frontis
Commendat, possum, purpureusq; pudor.
Gemma puellarum fuit olim: gemma mariti
Nunc fit, matronis gloria magna pijs.
Quid loquor? huic forma cedit Venus aurea Sponsa:
Moribus estq; suis ipsa Minerva minor.
O te felicem, talis cui nupta iugatur
Virgo, tot dotes quam decorare solent.
Nec te sponsa minùs felicem prædico, cuius
Vir talis thalamos, qualis hic ipse, petit.
Qui spes est patris, patriæ qui gloria fiet
Spes, amor, ac pectus, cor, columenq; tuum.
Hunc igitur geminis vlnis amplectere, totum
Se tibi qui tradit, corq; animumq; suum.
Ac nunc quod reliquum, vestris vt vela secunda
Det tædis numen, pectore & ore precor.

Disichon numerale, continens nomen Sponsi, ac
annum celebratarum nuptiarum.

HenricVS thalamos HeilbrVnner Virgines vaVI
PofCIt, CVI totVs nL nIsl faVIta preCor.

Matthæus Gailhouerus Pertholtz-
heimensis, Affinis, Alum. Palat.

LAVINGÆ

Apud Viduam Leonhardi Reinmichælij